



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed an Confessor debet habere distinctam singulorum peccatorum  
memoriam, dum imponit Satisfactionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



subsidia labore manuum parant. Confessarius igitur poenitentem *interroget, an possit Poenitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam pro sua prudentia immutet, aut minuat, ait Rituale Parisiense.* Tunc autem monendus est, leviozem Poenitentiam imponi, quàm mereantur ejus peccata, ut ipse moveatur vel ad majorem petendam, vel ad alias ultro sumendas, cùm melius dispositus erit.

Porro mensuram poenæ ex judicio Ecclesie peccatis debitæ indicant Canones Poenitentiales, quos proindè scire debet Sacerdos: nam licet poenæ per illos statuta, spectatâ facultate & infirmitate Poenitentis, minuendæ sint, tamen sæpè Poenitentibus proponendæ sunt, quò magis criminum gravitatem cognoscant, indèque fiant ad Poenitentiam acceptandam promptiores. Ita S. Carol. in instruct. Confess.

§. Satisfactio ante Absolutionem imponenda est, tùm ut exploretur debita Poenitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos Poenitentia; tùm quia ordo judicii, & justitiæ vindicativæ postulat, ut prius Poenitens Satisfactionem spondeat, & acceptet, quàm absolvatur. Si tamen fortè Sacerdos Absolutionem præmisisset, tenetur eam postea injungere.

*Sed an Confessor debet habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, dum imponit Satisfactionem?*

Respon-



Respondet Sylvius satis esse sic audire, & intelligere omnia quando dicuntur, ut in Satisfactione injungendâ sufficienter meminerit statûs Pœnitentis, ad eam competenter injungendam. Et verò sapè impossibile est saltem moraliter, ut Confessor distinctè singula tunc meminerit.

*Q. 2. Quænam opera in Pœnitentiam imponenda sunt?*

*Resp.* Ex Patribus & Conc. Florent. & Trid. sess. 6. c. 14. tria sunt præcipua ad quæ cœterarevocantur; nempe jeiunia, eleemosynæ, orationes; nam hæc sunt Satisfactiones pœnales simul, & medicinales: per jeiunium intelligitur omnis corporis afflictatio, & voluptatum sensuum etiam licitarum privatio, nam species ibi ponitur pro genere; per eleemosynam omne opus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Missæ, & concionum, susceptio Sacramentorum, examen conscientiæ, oblatio actionum suarum Deo facta ad ejus gloriam, actus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c.

*Q. 3. An imponi possunt opera aliunde præcepta?*

*Resp.* Non possunt sola licitè imponi, si Pœnitens possit alia præstare. Prob. ex Trid. sess.

14. c.